



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 65. Julianus Medicæus Cardinalis in Papam electus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI suspicarentur, inter eos conventum esse, A.C. 1513. ut quisque alterius electionem promovere satageret, propius accesserunt, colloquium interrupturi. Ast parum ea tunc diligentia profectum; quippe illico in aula confusus quidam rumor increbuit, quo haud obscure nunciatum, plurimorum suffragia in Medicæum Cardinalem conspirare; hujus electionem impedire, cum desperarent ceteri, & ipsi eandem Medicæo primi gratulabantur, totiusque sacri Collegii suffragia in eum conspirasse gaudebant, quapropter manum ejus sacro osculo venerabantur, illumque ad cubile suum deducebant, cunctis Cardinalibus eum officiosa salutatione honorantibus.

## §. LXV.

*Julianus Medicæus Cardinalis in Papam electus.*

Undecima ejusdem Mensis die feria sexta Cardinales Juliani Medicæi cubiculum ingressi, ibidem usque ad sacri solemnem horam permanserunt, re autem divina in Sacello S. Nicolai peracta capellæ fores occludi jusserunt ad suffragiorum scrutationem processuri, moxque schedulis suffragantium apertis Cardinalem Medicæum communi omnium voto in summum Pontificem esse electum depre-

deprehendebant: Igitur vocato protinus sacrorum rituum Magistro, aliisque Ministris Medicæus Pontificiis insignibus ornatur, sedensque in S. Petri Cathedra omnium Cardinalium obsequia accipit, quovis eorum ordine suo in novi Pontificis amplexus ruente, pedesque illius deosculante. Ceterum Medicæus Papa patre Laurentio de Medicis, & Matre Clarice Ursina natus erat, atque ab Innocentio VIII. Cardinalis anno ætatis suæ decimo quarto, ac demum trigesimo sexto summus Pontifex renunciatus est: In prima sua ætate Angelo Politiano, Demetrio Chalcondyle, & Urbano Bolzanio Institutoribus usus erat: inter familiares vero, præter alios quamplurimos Viros longe doctissimos, habuit Picum Mirandulanum, Marsilium Ficinum, Joannem Lascarem, & Christophorum Landinum. Tam ingenue ac liberaliter educatus, in scientiarum studio, atque amore Patrem suum æquabat, sibi que honori ducebat, cum literatos potenti suo præsidio fovere, ac scientiarum studia novo splendore augere posset. Nihilominus præclaræ adeo dotes nævis suis haud paucis non carebant; nam Medicæo præcipue vitio datum, quod partium studio abreptus, honorisque percupidus esset. Haud tamen diffitemur, quod suo Prædecessore minus vehementis, minusque

Sæcul. XVI.

A. C. 1513.

*Ciaccon. in**Leon. X. t. 3.**p. 390.**Labb collect.**Conc. t. 14.**p. 129.**Raynald. l. c.**n. 14.**Bembo hist.**Venet. l. 12.**Papyr. Mass.**in Leon. X.*

**Secul. XVI.** arrogantis indolis fuerit, ac præterea eum  
A.C. 1513. majori etiam sagacitate, ac calliditate  
 clarum fuisse, testantur Historici.

## §. LXVI.

*Medicæus Assumpto Leonis X. nomi-  
 ne coronatus.*

*Ciacon. in  
 vita Leon. X.  
 Spond. ad  
 ann. 1513.  
 n. 3.  
 Att. Conc.  
 p. 130.*

**R**ecens electus Papa nomen Leonis X. sibi selegit, cum vero a nonnullis de modo, quo inaugurationis suæ solemnia celebrari vellet, interrogaretur, honores magno Principe dignos sibi deberi respondit; unde nec suorum Prædecessorum, qui alias in sedili deferebantur, morem secutus, equo vectus (\*) Romam solemniter ingressus est. Trigesima post electionem die, undecima Aprilis, ipsa nimirum anniversaria die, qua anno priori in Ravennatensi prælio captus fuerat, coronatus, Basilicam S. Joannis in Laterano de more visitavit, tanta usus pompa, ut Roma in omnem magnificentiam ac splendorem effusa videretur; eam enim in solemnitatem centum aureorum millia

---

(\*) Ciaconius & Spondanus referunt, Papam non ex arrogantiae fastu id fecisse, sed eodem equo vehi voluisse, quo a Gallis captus fuerat, ut veterem acerbitatem cumulo præsentis lætitiæ compensaret.